

aut apostolis domini. Aliquantum etiam referebant illum sibi per visum in somnis apparuisse seque de pravis actibus redarguisse vel monuisse illos^{m)} de communi animarum salute. Testor ego, inquam, ipsius ac virtutum matrem caritatem, quoniam quondam meorum culpis facinorum offensus, ut sensi illum ad horam amaricatum, secessi in aliud coenobium ipsius ditioni minime subditum. Dumque illic degerem, astitisse michi una noctiumⁿ⁾ visus est aspectu placido ac manu iniecta caput michi demulcens aiebat: „Rogo, ne me deseras^{o)}, si non te amare fingebas, quin potius exercere te cupio, quæ promiseras“. Ipsius nanque imperio maxima iam ex parte^{p)} eventuum ac^{q)} prodigiorum^{r)}, quæ circa et infra incarnati salvatoris annum contingere millesimum, descripseram³³⁾. Quæ etiam causa ad præsens opus me compulit inflectere articulum. Iccirco omnes pariter oro, ne propter hoc præiudicium de me fiat.

XIIII (*cap.* 28). Beatitudo igitur patris^{s)} Willelmi iam ad tantam excreverat excellentiam, ut cunctas Latii ac Galliarum provincias ipsius amor ac veneratio penetraret. Nam reges ut patrem, pontifices ut magistrum, abbates et monachi ut archangelum, omnes in commune ut dei amicum suæque præceptorem salutis habebant. Quis enim unquam alius præter eum Veneticorum gentem in tam amica familiaritate habuit? Exaggerative secundum apostolum³⁴⁾ loquimur, quoniam, si fieri posset, oculos suos eruisent^{t)} et dedissent ei. Siquidem Ursus³⁵⁾ illorum patriarcha^{u)} ipsius sancti patris decrevit effici monachus, sed quia^{v)} ipse dispendium illius gentis, quod foret^{w)} pro tanti absentia viri, considerans illi^{x)} in suo proposito permanere suasit. Quod^{y)} etiam de multis (*fol.* 230^r) similis rei gratia cognitum habetur fecisse. (*cap.* 29) Iam vero in dei opere magis assiduus quam frequens, cum esset in Italia suum biennio prestolans a seculo excessum, sed rerum opportunitatibus exinde evocatus ægerrime tamen ad Gallias remeavit^{z)}³⁶⁾. Cunque revisendi

m) *fehlt R*

n) nocte *RBM*

o) Rogo ex me discas *B*

p) maximam iam partem *R*

q) euentorum atque *BM*

q-r) *fehlt R*

s) eximii patris *RBM*

t) exuissent *R*

u) patriarcha illorum *RBM*

v) *fehlt R*

w) ferret *R*

x) *fehlt B*

y) -o- *auf Rasur F*

z) exinde remeavit *R*

³³⁾ Gemeint sind Rodulfus Glabers „Historiarum libri quinque (wie S. 451 Anm. 2).

³⁴⁾ Galat. 4.15.

³⁵⁾ Ursus, Patriarch von Grado (1013?—44), s. Bulst S. 41.

³⁶⁾ 1028—30, letzter Italienaufenthalt Wilhelms, s. Bulst S. 276 f.